

Heinrich Rahn

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne, I.D. & Prof.
Ad Exequias Quas Filiae ... Dorotheae Parens moestissimus, Vir ... Dn. M.
Zacharias Iulichius, Scholae opidanae Collega ... Paratas cupit, Omnes
Academiae Cives amice invitat**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77100947X>


Druck Freier  Zugang




Rahne, H.,
in **D. Julich.**

Rost. 1648.

49.





PROGRAMMA

270

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HENRICVS RABNE,

J. D. & Pr.

AD EXE Q

Quas

Filiæ suæ desideratissimæ

DOROTHEÆ

Parens moestissimus,

Vir præstantissimus ac doctissimus

DN. M. ZACHARIAS JULICHIVS,

Scholæ opidanæ Collega solertissimus

Paratas cupit,

Omnes Academiæ Cives amicè invitatur.

•§(o)§•



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia

Typographi, Anno 1648.

181



Vod si L. Crassus
murenam in vivario
domus suæ mortu-
am atratus tanquam
filiam luxit: si Ma-
gnus ille Macedo,
qui cum Oceano regni sui terminavit
limites, & orientem intra imperii sui
fines Solem videre potuit, Hephæstio-
nis mortem nullâ rationis modestiâ
servatâ impotentissimè tulit, sicut me-
dicum cruci affigeret, equos mulosque
tonderet, mænium pinnas in urbibus
dejiceret: si denique Jonas Propheta,
vehementissime luxit ob hederæ sive
cucurbitæ interitum, quæ capiti ejus
um-

1281.

umbram præbuerat, æstumque ab ipso
defenderat: quid animi jam esse puta-
tis viro præstantissimo doctissimoque
DN. M. ZACHARIÆ JULICHIO
qui non piscem, cuius jactura facilis:
non amicum, cuius fides nonnun-
quam sublesta; non cucurbitam, rem
levem; sed filiam amisit dulcissimam,
suavissimamque DOROTHEAM
Nata Ea Anno supra millesimum sex-
centesimo vigesimo nono, d. XXVI.
Decemb. circa tertiam pomeridia-
nam, Patre, M. ZACHARIA JU-
LICHIO, Collegâ in Schola opidana
fidelissimo, viro adolescentiæ nostræ
valde utili; Matre CATHARINA
Burmeisters/ piâ ac honestissimâ femi-
nâ. Avus ejus paternus fuit ZACHA-
RIAS JULICHIVS Civis olim &
collegii sartorum, quod est Trambur-

A 2

gi in

gi in NeoMarchia Brandenburgensi,
Curio integerrimus. Aviam paternam
habuit DOROTHEAM Diderichs;
avum maternum M. JOACHIMUM
Burmeister / qui per annos quadragin-
ta in Schola opidana, singulari cum
laude docuit; aviam maternam DO-
ROTHEAM Naderheiden pistoris fi-
liam. Vt aliptæ futurum athletam jam
tum à puero delectum fingunt, ac in
futura certamina firmant: ita Paren-
tes filiam hanc suam primis statim ab
annis liberaliter educârunt, & ad vir-
tutes virginales omnes, præsertim ad
curam domus tuendæ diligenter in-
stituerunt. Adulta jam, quantum
per valetudinem licebat, conciones
sacras frequentabat & attentè auscul-
tabat; cantilenis non lascivis & ama-
toriiis atque ad corruptelam factis, sed
piis

piis & sacris unicè delectabatur: legendo non
Amadæum, quo nullus liber est pestilentior,
si Lipsium audimus, magisque natus blandè in-
ficere aut etiam interficere juventutem; sed sa-
cro sanctum Bibliorum codicem conterebat:
cæna etiam Dominicâ sæpius (& ante ipsos qua-
tuordecim dies postremum) magnaque cum
devotione utebatur. Cæterum voluntati pa-
rentum obsequebatur, curas domesticas cum
honestissima matre partiebat: ejus non dicta
solum sed & nutus observabat, &, ut nostri lo-
quuntur, altera quasi matris manus erat. An-
nus jam est & quod excurrit, cum malo scorbu-
tico & immanissimo hydrope infestata fuit:
quem fugare & superare parentes ut maximè la-
borarunt, ita minime potuerunt. Nimia enim
hydropidis tyrannis nudius tertius, permissu
DEI, caussarium ejus corpusculum, illud sa-
cellum animæ, gravius oppugnavit, nonam
circiter vespertinam expugnavit ac prostravit.
Vixit itaque breve tempus, nimirum annos no-
vendecim, sed tamen bene vixit, & profectò be-
ne mortua est, dum verâ fide in CHRISTUM
inter preces hæc, quas partim ipsa recitavit,
partim vir Reverendus atque Doctissimus
DN. M. JOACHIMUS SCHRÖ-

DERUS suggestit; **HERR** Jesu dir lebe ich/
dir sterbe ich. Ach **GOTT** sey mir armen Sünderin
gnädig. **HERR** Jesu Christ wahrer Mensch vnd
GOTT. Wann mein Stündlein fürhanden ist.
piè placideque obdormivit. Non quidem
dubito, mœstissime **PATER**, quin sub
ipsum carissimæ filiæ tuæ obitum animo tuo
se ingesserit, quod etiam regenitis **DEI** filii
cum vulgo hominum commune, & quasi
naturale est, ut non solum suam sed etiam pro-
pinquorum & pignorum mortem reformident,
& velut horreant ad cadaveris aspectum, & se-
pulcri ac corruptionis memoriam. Sed contra
vana hæc terriculamenta & personatos hostes
abunde nobis divinâ benignitate prospectum
esse, vel me tacente rectissimè nosti. Illorum
mors terribilis est, & omnium lacrymas meren-
tur, qui primâ morte secundæ resurrectionis
spem perdunt, quod in Caino, Achitophele,
Juda, aliis videmus. Ita Saulum à **DEO** reje-
ctum, & è numero salvandorum quasi expun-
ctum justo dolore sanctus ille Vates Samuel lu-
xit. Davidi etiam non tam cruenta cædes Abso-
lonis, quàm æterna pernicies perditissimi Ado-
lescentis, qui cum rebelli sanguine impuram &
impœnitentem animam expuerat, tam largas
lacry-


lacrymas & acerbissima lamenta expressit.
Tuam vero DOROTHEAM mors ista non
consumit, sed absolvit: dum à mortali immor-
tale, hoc est, animam à corpore, gravi nimirum
farcina, non verò à DEO aut Ecclesia secevit.
Id etiam morte sua lucrata est, ut peccatis, quæ
à Deo nos disterminant; nullam partem am-
plius obnoxia, sed à morte in vitam transgressa,
propius Illum tueatur, & triumphanti Electo-
rum Ecclesiæ novum & gratissimum mem-
brum accesserit. Adde præterea, hanc sancto-
rum mortem pretiosam esse in conspectu Dei,
non solum ob memoriam æternam, quam justo
largitur, cum è contrario succidat de terra me-
moriæ malignorum, sed vel inprimis, ob in-
æstimabile pretium redemptionis nostræ, quod
CHRISTUS non auro vel argento, sed san-
guine & cruenta morte sua pro nobis exsolvit,
ut per eam ultimum hostem, mortem scilicet
& eum, penes quem est mortis robur, Diabo-
lum aboleret, & liberos redderet, quotquot
metu mortis per omnem vitam damnates erant
servitutis.

Vos, CIVES ACADEMICI, agite, atque
funus hoc, quod ad horam primam efferetur.
frequent-

frequenti officio exequimini, Id enim est,
quod hac vice, vos amicè rogare volui, debui,
P.P. Rostochl a. d. XX. Maij. An. regnan-
tis gratiæ clo Ioc XLIX.

Conventus fiet in Æde B. Virginis
ad h. 12. pomeridianam.







piis & sacris unice delectabatur: legend
Amadæum, quo nullus liber est pestile
si Lipsium audimus, magisque natus bla
ficere aut etiam interficere juventutem
cro sanctum Bibliorum codicem conte
cæna etiam Dominicâ sapius (& ante ip
tuordecim dies postremum) magna qu
devotione utebatur. Cæterum volun
rentum obsequebatur, curas domestica
honestissima matre partiebatur: ejus ne
solum sed & nutus observabat, & ut n
quuntur, altera quasi matris manus eta
nus jam est & quod excurrit, cum malo
tico & immanissimo hydrope infestat
quem fugare & superare parentes ut ma
borarunt, ita minime potuerunt. Nim
hydropidis tyrannis nudius tertius, p
DE I, caussarium ejus corpusculum,
cellum animæ, gravius oppugnavit, i
circiter vespertinam expugnavit ac pro
Vixit itaque breve tempus, nimirum an
vendecim, sed tamen bene vixit, & prof
ne mortua est, dum verâ fide in CHR I
inter preces hæc, quas partim ipsa rec
partim vir Reverendus atque Doct
DN. M. JOACHIMUS SC

A 3

